

3159

C O D I C E S

3160

sum, in quo sequentia calamo notata: Ad 22. April. 1581. *omnes ecclesiae bruxellenses prophanatae. Pastores concionatores et aliqui ciues capiuntur expelluntur.* Ad 21. Maji. 1581. *in omnibus ecclesiis fit concio doctrinae Joannis Calvini.* Ad 1. Jul. 1579. *Parochia de capella prophanata.* Ad hanc D. *Aegidii Capellam* pertinuit, ut videtur, *Bartholomaeus Capellanus* Possessor olim *Codicis*, quod e frontis inscriptione colligitur. *Calendarium* excipiunt *Orationes siue Collectae secundum ordinem Calendarij De Sanctis* calamo scriptae, uti et *Preces* variae maxime ante et post *Missam* dicendae. Succedit excusa *Psalmodia de Tempore cum Communi de SS. et Officio Defunctorum.* Demum manu exaratae *Antiphonae Capitula et collectae dicenda per totum annum ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam de Tempore.* Omnia mire coagmentata.

DCCCCXX.

851 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 224. 8. minutius, fed, quam potest, nitidissime exaratus, aureisque Titulorum literis speciosus, inscribitur: *Commemorationes Sanctorum iuxta Calendarium Romanum simul cum precationibus piis.* Inscriptio haec exhibetur in eleganter picturato frontispicio, cui imminet Scutum gentilitium *Andreae Card. ab Austria Ferdinandi Archiducis*, qui a Patre *Ferdinando I. Imp. Tyrolim* obtinuerat, et *Philippinae Velse-*

*rae Patritiae Augustanae filii*, nati 1558. et 1600. *Romae* defuncti, ut adeo praefens Pietatis exercitium in ejus usus congestum fuerit. Itaque et utriusque Parentis Icon ab artificioso penicillo adumbrata praecedit, Patris quidem virtutum et artium virilium Adtributis stipata, Matris autem circumdata *Prudentiae, Iustitiae, Orationis et Eleemosynae* Insignibus, et adstituto flore, cujus apici Pileus cardinalitius incumbit. Eodem eleganti Picturae genere, mire variato, Paginae omnes usque ad *Julii* mensis medium cinguntur, relictis deinceps interrupti laboris vestigiis. Supra dictis *Sanctorum Commemorationibus*, quae ex Officio Sacerdotali depromptae sunt, passim aliae piaae *Precationes* interferuntur, et sub finem *Commemorationes* etiam *Domini-carum* per annum accedunt.

DCCCCXXI.

Codex membraneus lat. Sec. 967 XVI. Folior. nunc 122. 8. eleganter et luculente exaratus, literis initiorum et marginibus quibusdam partim florum et animalium, partim illo ornatu, quem Arabicum (*Arabesques*) vocant, visendus, additis Iconibus grandioribus speciosis X. in quibus Pictor quaedam *Alb. Dureri*, et *M. Antonii* imitatus est, diversa continet Pietatis Exercitia hoc quidem ordine: Officium de B. V. *Maria*, *Psalms de Poenitentia* cum *Litaniis* OO. SS. Officium pro Defunctis, *Orationesque* tempore

3161

## LITURGICI.

3162

pore vespertino et matutino perfolvendae. Quibus cum praefigatur Icon Episcopi ante crucem Servatoris flexis genibus precantis, de Possessore *Codicis* conjectes. Licuisset hunc fortasse suo nomine compellere, nisi Insignia *fol. 2.* adpicta, Libro ceterum optime servato et non nisi in fine abrupto, vi extrita fuissent. Invocati in Litanis *Severinus* et *Servatius* *Coloniam* respicere videntur.

## DCCCCXXII.

369 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 49. f. nitidissime exaratus, rubricisque decoratus et olim pertinens ad Bibliothecam Cubiculi *Leopoldi I.* Aug. continet: *Officium Conceptionis Immaculatae Sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae* praevia ejus Icone cum Lemmate: *Tu Humiliasti Sicut Vulneratum Superbum. Psal. LXXXVIII. v. 11.* Officium istud nulla Ecclesiae auctoritate nixum ad privatos duntaxat usus conscriptum est. Novem *Lectionibus* constat e PP. *Tractatibus* depromtis. Per *Octavam* aliae atque aliae adsignantur. *Hymni, Antiphonae* et *Responsoria* generis rhythmici sunt haud admodum felicis. E duabus *Notis* ei subjectis opinari quis posset, Autorem *Franciscani* fuisse Ordinis. Adhaeret et *Missa* non magis cum ea conspirans, qua utitur Ecclesia, quam ipsum *Breviarium*. Hujus initium est: *Ad Vesperas Antiphona. Rex immensae Potestatis Hortum sibi voluptatis*  
*Denis Codd. Theol. V. I. P. III.*

nouo plantat ordine &c. Illius: *Introitus. Laetentur coeli et exultet terra Virginis Deiparae gloriosissimam extollentes Conceptionem &c.* *Negotium*; quod *Leopoldo* Aug. propter *Officium de immaculata Conceptione* cum *Immaculato XI. P. R.* fuit, narratur in *Avrignii Memoires Chronolog. T. II. p. 65.* ad an. 1678.

## DCCCCXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 680 XVII. Folior. 15. 4. eleganter exaratus inscribitur: *De Quindecim Rosarij Mysterijs Gaudiosis, Dolorosis, Gloriosis iuxta exemplum Virginis cum pietate, fructuque recolendis.* Praeit *Allocutio ad Animam Christianam*; quae orditur: *Ex luce et tenebris dies omnis componitur; aestate et hieme constat omnis annus; nec minus laetis et tristibus humana omnis vita distinguitur &c.* *Mysterium* quodvis constat *Expositione, Documento* et *Affectu*; quibus non inepta suggeruntur. Sed Fasciculus hic non ultra *Mysteria Gaudiosa* progreditur. Utilior certe *Rosarii Methodus*, quam ea, quae granulis decurritur.

## DCCCCXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. 793 XVII. Paginar. 475. 8. elegantissime in modum Typorum exaratus, auro, coloribusque speciosus, et ornatus *Picturis X.* majoribus, unaque minore artificiosissimis, inscribitur: *Officium Beatae*  
T t Ma-